IN FESTO SANCTI VALERII EPISC. CÆSARAUGUSTANI, ET CONFESSORIS.

DUPLEX.

Omnia de Commun. Conf. Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui sacram B. Valerii Confessoris tui, atque Pontificis solemnitatem hodierna die venerari voluisti: nos famulos tuos ab omni culpa liberos esse, concede, ut ejus intercessione ad vitam perveniamus æternam. Per Dñm.

Lectiones primi Noctur. de Script. occ.

IN II. NOCT.

Ex Lectionibus jam approbatis pro Ecclesiis Cæsaraugustana, & Valentina, & ex iis, quæ habentur de S. Valerio in Brev. Roman. in fest. S. Vincentii M.

Lectio iv.

VAlerius pietate, & doctrina insignis ex Consulari Valeriorum turba (teste Prudentio) Cæsaraugustæ ortus est, talemque se in Episcopatu gessit, qualem nec optare quidem populos potuisset: Cum enim Diocletiani, & Maximiani in Christianos persecutio maximè sæviret, toto animo, omnique studio ad propagandam Christi Fidem incumbebat, certans nimirùm juxta præceptum Apostoli bonum certamen Fidei, apprehendensque vitam æternam, in quam vocatus erat, & confessus bonam confessionem corā multis testibus. Qui cùm

ob lingue tarditatem in prædicandi Evangelii exercitatione minùs versari posset, ne ea ex re aliquid detrimenti populus acciperet: hanc curam Vincentio ejus Discipulo, & Diacono demandavit: ut hac ratione nihil ad confirmandum in fide populum, ipsumque sanctè docendum, desideraretur. Utriusque vero exemplo vitæ, ac morum sanctitate, Vincentii etiam prædicatione res Christiana in dies magis augebatur. Hęc intelligens Dacianus, qui in prędicta Diocletiani, & Maximiani persecutione in Hispaniã Pręses missus, Christianos totis viribus insectabatur, Valerium unà cum Vincentio Cæsaraugustæ capi, & utrumque Valẽtiam vinctum post se duci, impio suo instituto expedire admodum, ac necessarium etiam esse, judicavit.

℟. Inveni David.

Lectio v.

VIros itaque sanctissimos Valerium, & Vincentium vinculis constrictos Cæsaraugusta Valentiam Dacianus ad se duci, jubet, qui simul atque Valentiæ in illius conspectum prodierunt, cùm Valerius ob senilem ætatem, & eam, qua apud Christianos valebat existimationem, auctoritate pręcelleret, ad ipsum Præses conversus: Quid, inquit, tu Valeri? An putas, æquum esse religionis prætextu Principum decreta infringere, ac violare? Tunc Valerius, quamvis corpore ob longævam ætatem infirmiore, animo tamen firmissimo Religionis, & Fidei causam suscipiens, mitiore licèt, ac tardiore sermone Daciano respondit: Nos, ô Daciane, qui Christianam Fidem profitemur, & majorum nostrorum vestigiis insistimus, Deo

potiùs, cujus nutu omnia sunt condita, quàm hominibus obedire, oportere, in maximis, ac sanctissimis nostræ Religionis decretis semper habuimus. Quo audito, Dacianus, quoniam ex Valerii morte nullum sibi triumphum pollicebatur, quod summa ille senectute, quam quovis tormento graviorem illi futuram esse existimabat, confectus esset; exilio dumtaxat, damnandum illum esse, decrevit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

CUm igitur exilii causa Valerio solum vertendum esset, relicta Civitate Valentia, in Aragoniæ Provinciam sese contulit, cui, cum Cæsaraugustã redire, aut ampla, spatiosave loca incolere, Edicto Judicis prohibitum esset, Anetum ejusdem Provinciç Oppidulum ad habitandum sibi delegit: id etiam sibi prçstituens, ut separatus à turba, ac proinde omnibus impedimentis liberatus, rebus divinis se totum dederet, suamque senectutem Deo prorsus consecraret. Quo in loco cum clarissima Vincentii mors, quam Valentiæ pro Christi Fide ab impio Daciano gloriosissimè perpessus fuerat, sepè ipsi in mentem veniret, eam vehementer illi gratulari solebat: quin & ipse ex hac vita migrare summis votis optabat; ut quem charissimum socium, suique muneris participem habuisse in terris, brevi etiam comitẽ haberet in Cælis: & ut proclivis sui in Vincentium animi significationem aliquã ederet, templũ in eo loco Christianorum sumptibus erigendum, curavit: Quod primum Beati Vincentii nomine dedicatum est. Qui tandem vigiliis, je-

junijs, orationibus, & sacris meditationibus intentus, felicem animã Deo reddidit circa annum Domini trecentesimum decimum quintum. Cujus Corpus non longè ab eo loco in Castro, cui nomen est Strada, Christiani piè sepelierunt. Insigne verò nunc monumentum ejus reliquias continens, ac nomen referens, in Cœnobio Roda, vulgò nũcupato, conspicitur.

℟. Iste est, qui.

IN III. NOCT.

Homil. in Evang. Homo peregre, *de Com. Cf. Pont.*

Miss. Statuit, *de eodem Communi.*

HISPANIARUM.

AD pias serenissimi Regis Catholici, enixasque preces Rmorum. Archiepiscopor. Episcopor. necnon Capitularium ferè omnium Ecclesiar. Regnorum Hispaniæ SSmo. D. N. Clementi Pp. XII. porrectas, & à Sanctitate sua ad Sacr. Rit. Congr. remissas, ac per Emum. & Rmum. D. Card. Belluga relatas, Sacra eadem Congr. posse concedi censuit, ut singulis annis in fest. S. Valerii Episc. Cæsaraugustani, & Conf. ac Patroni Primarii illius Civitatis, ac Diœcesis Officium cum Lectionibus II. Nocturni, & Oratione propriis jam Ecclesiis Cæsaraugustanæ, & Valentiæ concessis sub ritu duplici minori in cunctis Hispaniarum Regnis ab omnibus Secularibus, & Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari valeat, si SSmo. D. N. visum fuerit. Die 22. Januarii 1735.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis SSmo. D. N. relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 31. ejusdem mensis, & anni 1735.

A. F. Card. Zondadari Pro-Præf.

Loco ✠ sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep. Apamen. Sac. Rit. Congr. Secret.